

(137. Si clericus sacris initiandus, sit consuetudine aliqua peccandi astrictus, modo vero ita sincera exhibeat respiscendi argumenta, ut confessarius vere eum contritum judicare possit, nolit autem poenitens ille confessario suadenti ut differat susceptionem sacri ordinis acquiescere, firmusque statuat statim se solemniter voto obstringere; utrum in ea voluntate sic obfirmatus possit absolvi, quæstio est anceps, adeoque suadendum est illi, ut prudentem et doctum virum consulat, a quo remedia petat et consilium. *De synod. diæc.*, lib. xi, cap. 2, § 17, 18, nov. edit. *

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(138. Privilegium recipiendi ordines extra tempora illis duntaxat regularibus suffragatur, quibus post concilium Tridentinum nominatim, atque recta concessum fuerit in forma non communi sed specifica postmodum confirmatum. (139. Per communicationem igitur privilegium hoc haud acquiritur, ut ex constitutione S. M. Benedicti XIV incipiente *Impositi* probe monet clarissimus Giraldu, in *Addit. ad Mascat.*, lib. i, tit. *De tempor. ordinat.*, sub n. 15. (140. Quocirca locum amplius non habet, quod auctor, n. 11, innixus concilio Romano, tit. 5, cap. 2, ait, acquiri scilicet posse mox dictum privilegium per communicationem, tum suffragari ante concilium concessum.

(141. Recteque monet idem Pater Giraldu consentaneæ ad mox allegatam constitutionem S. M. Benedicti XIV privilegium hoc recipiendi ordines extra tempora regularibus concessum non arctare episcopos diocesanos ad eos extra tempora ordinandos, vel dimittendos ad ordinationem alibi suscipiendam.

(142. Vide et alia pertinentia ad ordinationem regularium in eadem constit. Benedicti XIV, etc. (143. Illud vero hic non est prætereundum; male auctorem n. 105 et plur. seq., generaliter asserere, non esse detrahenda onera missarum a beneficio, ad cuius titulum quis ordinatur. (144. Fuit enim olim hæc gravissima quæstio, in qua non una erat doctorum sententia. Tenebant nonnulli detrahi debere onera missarum, si possit beneficiarius ea, vel per se, vel per alium implere, nequaquam vero, si per se ipsum illis satisfacere teneatur. Contra vero alii sustinebant, onera missarum neutro in casu esse detrahenda.

(144. « In hac opinionum varietate (ut refert S. M. Benedictus XIV, *De synod. diæc.*, lib. xi, cap. 9, n. 7 et seq.) satius duxerunt aliquot episcopi sacra congregationis Concilii sententiam efflagitare, et Nos, qui eidem eramus a secretis, ut patres unico intuitu omnia inspicerent, quæ ad materiam pertinerent, etc., diligentem examinauimus dissertationem, etc., ubi cujuslibet ex diversis, quas retulimus auctorum sententiis præcipua expendimus rationum momenta. Actum fuit de hac quæstione die 8 Augusti 1722, iterumque die 24 Aprilis 1723; ac tandem die 17 Julii ejusdem anni deci-

sum, rem esse relinquendam conscientie et arbitrio ordinariorum, qui, spectatis locorum et personarum conditionibus, vel in particularibus eventibus statuunt, vel etiam in synodo per modum legis decernant, an onera missarum sint, aut non sint detrahenda e rebus beneficii, e quibus ordinandus suam honestam sustentationem est percipiturus.

(145. « Quomobrem (rectissime concludit mox laudatus summus Pontifex ubi supra) absque periculo obviandi juri communi, et sacro concilio Tridentino, tuto poterit episcopus in sua synodo non solum præfinire quantitatem proventuum, qui censeantur sufficientes ad alimoniam subministrandam clerico suam incolenti diocesim, sed etiam statuere, et determinare, num inter ejusmodi proventus sit numeranda, an potius detrahenda stipes respondens numero missarum, ad quas celebrandas clericus, sive per se, sive per alium adigitur lege sibi indicta a fundatore beneficii, quod possidet. » Confer eundem summum Pontificem, *Institut. eccl.* 26, n. 6.

RESPONSIO AUCTORIS.

Circa privilegia recipiendi ordines extra tempora, etc., plura hic adduntur, quæ jam fuerant a me allata et tradita in *Supplementis* ad verb. *Ordo*, ubi inter alia datur summarium dict. constit. Benedicti XIV incip. *Impositi*.

An autem quod subjungitur n. 142, nempe, « male auctorem n. 105 et plur. seq. generaliter asserere, non esse detrahenda onera missarum a beneficio, ad cuius titulum quis ordinatur; poterit urbane dici, iudicet prudens lector. » Non enim male asseritur, quod ego auctor tradidi à cit. n. 105 ad 110 tot suffultis solidis fundamentis, una cum celeberrimis doctoribus, et signanter Card. de Luca, Lamperez, Ludovico Nogueir, Morin. Monacello et Ursaya, clarissimo Romano advocatione, maxime, si, ut fert conclusio, ordinandus, donec ascendat ad sacerdotium, pro rata missarum aliunde habeat, unde vivere possit. Et rec. memor. Benedictus XIV, *De synodo diæcesana*, l. xii, c. 9, relinquit arbitrio et conscientie episcopi id decernere, afferens ad id, inter alia, decretum sacr. congr. Conc. 17 Jul. 1723 jam allatum ad litteram a me, *loc. cit.*, n. 105. Videatur etiam doctissimus Ubaldu Giraldu unus ex dignissimis revisoribus, *Instit. canonic.*, part. i, § 18, ubi sic expresse tradit: « Post publicationem constit. *Speculatores* usque a die 14 April. 1696, vivente adhuc ipso Innocent. XII legislatore, pluries exorta est controversia: an ab eadem constit. aliquid innovatum fuerit circa detractionem onerum missarum beneficio, ad cuius titulum quis ordinatur, adnexorum, ad effectum constituendi summam taxæ in synodo præfinitæ; sive beneficiatus teneatur eas celebrare per se ipsum, sive per alium. » Libratisque in congreg. Conc. rationum momentis hinc inde militantium, respondit, id in utroque casu relin-

quendum esse arbitrio ordinariorum, ut videre est in *Thesaur. resolutionum* ejusdem congr. sub die 8 Augusti 1722, et 17 Julii 1723; cui responso adhæret etiam Bened. XIV, lib. xii *De synod. diæces.*, cap. 9, n. 6 et 7. Sic ille ad litteram.

(146. De eo etiam hic necessario agendum, an ubi quis ordinatur ad titulum beneficii in aliena diocesi obtenti, *sufficiencia* præfinienda sit ad normam taxæ synodalis vigentis in diocesi domicilii, an in diocesi in qua beneficium est situm? Hæc autem recepta est distinctio, ut si beneficium continuam et perpetuam exposcat residentiam, *sufficiencia* desumi debeat a taxa synodali præfinita in diocesi, in qua beneficiarius possidet beneficium; sin autem beneficium oneri hujus continuæ et perpetuæ residentie non sit obnoxium, desumenda *sufficiencia* sit a taxa synodali præfinita in loco, ubi beneficiarius habet domicilium, ut respondit sacra congregatio Concilii interpres in *Alatrina* 9 Julii 1702; in *Arimin. Ordinationis* 10 Jan. 1708; in *Romana* seu *S. Agathe Gothorum* 20 Maii 1715, et statuit Innocentius XII in constitutione incipiente *Apostolici ministerii*. Confer et Bened. XIV, *De synod. diæc.*, d. lib. xii, cap. 9, n. 6.

ARTICULUS III.

Quoad ea quæ concernunt facultatem prælatorum ordinandi suos, vel alienos subditos, et concedendi litteras dimissorias.

SUMMARIUM.

1. Suos subditos possunt ordinare episcopi quoad omnes ordines. — 2. Abbates possunt de jure conferre ordines minoribus suis subditis, licet non sint benedicti. — 3. Abbates, et alii quicumque intra fines alicujus diocesis existentes, etiamsi nullius diocesis, vel exempti esse dicantur, non possunt hodie cuiquam, qui regularis subditus non sit, tonsuram, et minores ordines conferre. — 4. Nec etiamsi alii regulares non subditi, et clerici sæculares afferant dimissorias suorum respective superiorum. — 5. Imo talis ordinatio abbatum conferentium ordines minoribus sibi non subditis, licet cum dimissoriis sui superioris, esset irrita et invalida. — 6. Abbates regulares non possunt promoveri ad ordines minores neque suos novitios. — 7. Novitii respectu minorum ordinum ordinandi sunt a proprio episcopo. — 8. Episcopus autem proprius est episcopus loci monasterii, in quo novitii agunt novitiatum. — 9. Cardinales presbyteri, etiamsi episcopi non sint, possunt in suis titulis conferre primam tonsuram et ordines minores suis subditis et familiaribus. — 10. Subditus episcopi, quoad ordines licite ab ipso recipiendos, potest quis fieri quatuor modis, scilicet ratione originis, ratione domicilii, ratione beneficii, et ratione triennalis familiaritatis, seu commensalitatatis cum episcopo. — 11. Quoad quatuor dictos modos, quibus potest quis fieri subditus episcopi quoad ordines licite ab ipso recipiendos adest novissima constitutio Innocentii XII, quæ hic ad litteram datur. — 12. Ut quis ordinari possit ab alieno episcopo ratione beneficii in ejus diocesi obtenti, requiritur, quod beneficium sit ibi revera obtentum, et pacifice ab ordinando possessum. — 13. Item requiritur, quod tale beneficium, detractis oneribus, per se sufficiat ad congruam clericis sustentationem, adeo ut non possit defectus fructuum ejus suppleri per adjunctionem patrimonii. — 14. Item requiritur quod

ordinandus ante ordinationem obtineat testimoniales litteras proprii episcopi, tam originis quam domicilii super suis natalibus, ætate, moribus et vita; et eas exhibeat episcopo ordinanti in actis illius curiæ servandas. — 15. Insuper requiritur quod episcopus sic ordinans, tam de prædictis testimonialibus litteris quam de rebus beneficii hujusmodi expressam in consueta collatorum ordinum attestatione mentionem faciat. — 16. Ut quis fiat subditus episcopi, et ab ipso ordinari possit ratione originis, requiritur, ut naturaliter ortus sit in ea diocesi, in qua ad ordines promoveri desiderat, dummodo tamen ibi natus non fuerit ex aliquo accidenti. — 17. Si quis autem tanto temporis spatio in eo loco, in quo ex accidenti natus est moram traxerit, ut potuerit ibidem canonico aliquo impedimento irretiri, tunc etiam ab ordinario illius loci litteras testimoniales, ut supra, obtinere debet. — 18. Si vero pater in alieno loco, ubi ejus filius natus est, tandiu ac eo animo permanserit, ut inibi vere domicilium de jure contraxerit, tunc non origo patris, sed domicilium de jure per patrem legitime contractum pro ordinatione ejusdem filii attendi debet. — 19. Origo matris quoad receptionem ordinum non attenditur. — 20. Si autem filius sit illegitimus, debet attendi origo matris et non patris. — 21. Expositus tamen, cujus parentes ignorantur, potest ordinari in diocesi in qua, ut supra, naturaliter ortus est; vel si de hoc constare nequeat, potest ordinari in diocesi loci ubi expositus est. — 22. Ut quis fiat subditus episcopi, et ab ipso ordinari possit ratione domicilii, requiritur, quod illud adeo stabiliter constituerit in aliquo loco, ut satis superque suum perpetuo ibidem permanendi animum demonstraverit, et nihilominus ulterius se vere et realiter animum hujusmodi habere jurejurando affirmet. — 23. Verum enim domicilium, non nuda voluntate et assertionem, sed animo et facto, simul constituitur. — 24. Unde domicilium contrahitur animo permanendi videlicet perpetuo in tali loco; alioquin enim non contrahitur domicilium. — 25. Hinc, si quis inhabitet locum animo inde recedendi, non contrahet ibi domicilium, quamvis mille annis ibidem habitet. — 26. Exacto tamen alicubi decennio, si de opposito non constet, præsumptione juris censeatur ibidem contractum domicilium. — 27. Sufficit autem animus perpetuo manendi in tali loco perpetuitate saltem propositi, licet hujusmodi propositum, sicuti et domicilium mutari ob supervenientem causam possit. — 28. Si quis a propriae originis loco in ea ætate discesserit, qua potuerit alicui canonico impedimento obnoxius effici, etiam ordinarii suæ originis testimoniales litteras, ut supra, afferre debet. — 29. Ut quis fiat subditus episcopi, et ab ipso ordinari possit ratione familiaritatis seu commensalitatatis, requiritur, quod sit vere familiaris et commensalis episcopi. — 30. Item requiritur quod ipsum secum retinuerit per integrum et completum triennium. — 31. Item requiritur, quod is ante receptionem ordinum obtineat testimoniales litteras proprii, originis scilicet, aut domicilii, episcopi. — 32. Item requiritur quod episcopus ordinans suum familiarem statim, id est saltem intra terminum unius mensis a die ordinationis, quacunque fraude cessante, reipsa conferat illi beneficium sufficientem ad ejus congruam sustentationem. — 33. Tali facultate ordinandi suos triennales familiares non gaudent episcopi titulares, adeoque nequeunt ipsos ordinare absque sui proprii episcopi expresso consensu et dimissoriis. — 34. Imo ordinati ab episcopo titulari sine expresso consensu proprii episcopi ipso jure suspensi sunt, donec suo proprio episcopo visum fuerit. — 35. Et ipse episcopus titularis sic ordinans est suspensus per annum ab usu Pontificalium. — 36. Litteras dimissorias pro ordinibus ab alieno episcopo recipiendis ultra Romanum

Pontificem, qui eas concedere potest pro omnibus ordinandis totius orbis, potest quilibet episcopus concedere suis subditis, sive is sit episcopus originis, sive domicilii, sive beneficii. — 57. Item dimissorias concedere possunt episcopi et cardinales suis familiaribus triennalibus. — 58. In supradictis omnibus semper est servanda dispositio Innocentii XII constituit. incip. *Speculatores*. — 59. Vicarius generalis episcopi non potest dimissorias concedere, nisi episcopo absente, seu si presente, id ei concedente. — 60. Vicarius capitularis, sede vacante, non potest infra annum a die vacationis computandum, dimissorias concedere, præterquam illi, qui alicuius beneficii recepti, vel recipiendi causa arctatus fuerit; alias vicarius capitularis contraveniens subiacet interdicto; et sic ordinati, si in minoribus ordinibus fuerint constituti, nullo privilegio clericali præsertim in criminalibus gaudent; in maioribus vero ab executione ordinum ad Beneplacitum futuri episcopi sunt ipso jure suspensi. — 61. Electo vicario capitulari, dimissorias concedere, tum intra annum, quam non arctatis post annum a die vacationis sedis, non ad capitulum, sed ad vicarium capitularem omnino spectat. — 62. Vicarius enim capitularis privative, et non cumulative quoad capitulum jurisdictionem obtinet. — 63. Et hoc, etiamsi capitulum illum constitisset, et elegisset cum tali, aut alia restrict. et limitat. facultatis ad n. 45. — 64. Arctatus ratione beneficii recepti ad finem obtinendi a vicario capitulari infra annum a die vacationis sedis dimissorias ad ordines, quis dicitur? — 65. Arctatus quis dicitur ratione beneficii recipiendi? — 66. Si quis nondum tonsuratus vocetur ad aliquod beneficium, potest vicarius capitularis infra annum concedere ei dimissorias pro recipienda prima tonsura. — 67. Vicarius capitularis, sede vacante, concedens intra annum dimissorias non arctato incidit in pœnam decreti concilii Tridentini sess. vii, cap. 10, quamvis is, cui concessit, usus non fuerit. — 68. Vicarius capitularis, sede vacante, concedens dimissorias intra annum non arctatis, non incurrit secundum multos pœnam suspens. per annum, juxta c. 10, sess. xxiii, sed tantum pœnam interdicti juxta dict. cap. 10, sess. vii, ad n. 51. — 69. Abbates, alique exempti, licet in parochos et parochianos jurisdictionem habeant quasi episcopalem privative ad episcopum, nequeunt suis subditis sæcularibus litteras dimissorias ad ordines suscipiendos concedere. — 70. Neque ipse episcopus tanquam abbas, nec alius prælatus loci, potest subditis sæcularibus nullius diœcesis concedere dimissorias, sed has debet concedere episcopus vicinior. — 71. Dimissorie ab episcopis aliisque ordinariis dirigi non possunt abbatibus regularibus, sub suspensionis pœna a collatione ordinum, præter alias pœnas arbitrio sacre congregationis reservatas, tam contra concedentes, quam contra ordinantes. — 72. Prælati regulares possunt concedere suis subditis regularibus dimissorias ad ordines. — 73. Sed, secluso speciali privilegio, non possunt ipsas dimissorias concedere, nisi ad episcopum diœcesanum. — 74. Afferitur ad id decretum sacre congregationis Concilii editum de mandato Clementis VIII. — 75. Et dictum decretum Clementis VIII, quoad ordinationes regularium fuit novissime confirmatum per Innocentium XIII, pro regnis Hispaniæ, constit. incip. *Apostolici ministerii* confirmata per Benedictum XIII, constit. incip. *In supremo*. — 76. Unde, ad hoc, ut regulares possint ab alio episcopo ordinari, sufficit, quod in litteris dimissoriis prælatus religionis, seu conventus testetur de absentia diœcesani, vel quod nolit habere ordinationes. Nec est necessarium habere de hac re ex curia episcopali fidem authenticam. — 77. Insuper, quid eis sufficiat, ut possint ab alio episcopo ordinari, stante dicta constitutione Innocentii XIII confirmata a Benedicto XIII. — 78. Si regulares ordinandi

morentur in monasterio nullius diœcesis, dimissorie concedendæ sunt ad episcopum viciniorum. — 79. In casu, quo proprius episcopus ordinationes non teneat, possunt dimissorie regularium dirigi ad quemcumque alium episcopum, etiam ultra montes. — 80. Nec regulares comprehenduntur in decreto generali mandante, ut ultramontanis absque sanctitatis suæ, vel sacre congregationis Episcop. et Regul. licentia ordines non conferantur. — 81. Expediunt tamen, ut dimissorie in similibus casibus dirigantur a superioribus regularibus ad aliquem episcopum viciniorum. — 82. Superiores regulares, si ex industria, et per fraudem transferant subditos de una diœcesi ad aliam, ut facilius ad examen admittantur, ac statim ordinati redeant ad primam diœcesim, peccant, et sunt punibiles in foro externo. — 83. Per quantum tempus regulares ordinandi commorari debeant in conventu diœcesis episcopi ordinantis, ad hoc ut dici possint de familia ipsius conventus? — 84. Regulares, si fuerint ab episcopo diœcesano in examine reprobati, non possunt a suis superioribus mitti ad alios episcopos pro ordinibus suscipiendis, et hoc sub gravibus pœnis. — 85. Superiores regulares nequeunt concedere suis novitiis dimissorias ad ordines recipiendos, sed hoc spectat ad episcopum loci monasterii in quo novitius agit novitiatum. — 86. Regulares, qui speciale privilegium ad id post concilium Tridentinum a Sede Apostolica obtinuerunt, possunt adhuc a quolibet antistite ordines suscipere, et consequenter eorum superiores ad quemlibet catholicum antistitem dimissorias concedere. — 87. Tali speciali privilegio gaudent Patres Societatis Jesu. — 88. Dicto speciali privilegio gaudent Fratres Minores de observantia in partibus Indiarum occidentalium existentes. — 89. An tali speciali privilegio gaudeant omnes alii regulares? — 90. De privilegio Patrum congregationis Oratorii vide ibi. — 91. Quoad ordinationes regularium attendenda est constitutio Benedicti XIV (quæ in fine h. art. per extensum refertur) ad n. 76. — 92. Nuntii Apostolici possunt ordines conferre illis qui habent dimissorias proprii episcopi, cum clausula quod possint a quocumque antistite ordinari. — 93. Græci et Albanenses græco ritu viventes, et commorantes in Italia, quomodo promovendi sint ad ordines? — 94. Ultramontani non possunt ordinari ab episcopis Italis, nisi illorum dimissorie fuerint recognite, et approbate per nuntios, seu collectores Apostolicos earum regionum, ac per vicarium Urbis. — 95. Et hoc quamvis ordinandi permanerent in collegiis Italiæ. — 96. Hoc tamen non procedit in ultramontanis regularibus. — 97. Commorantes in Urbe per quatuor menses non possunt ordinari extra Urbem cum litteris dimissoriis proprii ordinarii, sed debent se presentare eminentissimo vicario, a quo debent ordines recipere. — 98. Ordines subditis sex episcopatum cardinalitiorum prope Urbem, in quibus non sunt suffraganei, si proprius cardinalis episcopus non accedat ipse ad suam diœcesim, ut ibi ordinationes habeat, debent conferri per cardinalem vicarium Urbis, cum dimissoriis sui ordinarii, nec prædictæ dimissorie possunt dirigi aliis episcopis. — 99. Metropolitanis patriarchæ, et nuntii, seu legati nequeunt subditis ordinariis conferre ordines, seu dimissorias ad alios episcopos concedere. — 100. Papa potest ordinare quoscumque sine dimissoriis suorum ordinariorum. — 101. Ordinatos a Papa nullus ad superiores ordines promovere potest sine ipsius licentia. — 102. Litteræ testimoniales proprii episcopi originis, et domicilii de necesse requisitæ ut clericus possit ab alio episcopo ad ordines promoveri, non videntur necessariae ut possit beneficium in aliena diœcesi obtinere, ac in illo institui, quamvis alioquin valde expediant, ad num. 95. — 103. Coadjutor cum futura successione, et assignata congrua, est eo ipso subditus ordinarii beneficii ad effectum suscipiendi ordines absque alia dimissoria

episcopi suæ originis. — 97. Regulares ad ordines promovendi non tenentur exhibere ordinario fidem sui baptismatis ad docendum de legitima ætate, si de ea constet in litteris obedientialibus sui superioris. — 98. Pro ordin. suscipiendis potest fieri variatio de uno episcopo ad alium: dummodo non fiat in fraudem. — 99. Aha ad rem cum *Add. ex al. manu* ad n. 110.

(1. Suos subditos possunt ordinare episcopi quoad omnes ordines, *Communissima* per clarissimos textus in cap. *Illud* 1, cap. *De aliena* 2, cap. *Si quis* 3, cap. *Clericus* 5, cap. *Primitus* 6, cap. *Extraneo* 7, et cap. *hortamur* 8, dist. 71, et in cap. *Clericum alienum* 2, dist. 72., et c. *Eos qui* 3, et cap. *Nullus episcopus* 4, De temporibus ordin., in 6, et concil. Trid., sess. xiv, cap. 2 et 3 *De reformat.*, et sess. xxiii, cap. 8, *De reformat.*, ubi sub gravibus pœnis prohibetur, ne quis alienum subdit., seu extr. audeat ordinare absque proprii superioris licentia.

(2. Abbates possunt de jure conferre ordines minores suis subditis, licet non sint benedicti; cap. *Quoniam* 1, dist. 69; cap. *Cum contingat* 11, De ætat. et qualit.; cap. *Abbates* 3, De privileg. in 6, cum similibus; et sic fuisse decisum a sacra congreg. Concilii die 16 Februar. 1619, testantur Barbosa in *Summa Apostolic. decis.*, verb. *Abbas*, n. 19, et in *Conc. Trid.*, sess. xxiii, cap. 10, *De reformat.*, n. 7; Sellius in *Select. canonic.*, cap. 19, n. 9, Navarr., verb. *Ordo*, n. 4.

(3. Abbates, quamvis de jure communi possent olim ordines minores conferre sibi subditis, non solum monachis, verum etiam et laicis, in quos ordinariam et ecclesiasticam habebant jurisdictionem, ut probat textus in cap. *Abbates* 3, De privileg. in 6, et cum aliis advertit Barbosa in cit. sess. xxiii, cap. 10, n. 2, hodie tamen ipsi abbates et alii quicumque intra fines alicujus diœcesis existentes, etiamsi nullius diœcesis, vel exempti esse dicantur, non possunt amplius cuiquam, qui regularis subditus non sit, tonsuram, vel minores ordines conferre. Sic expresse conc. Trident., cit. sess. xxiii, *De reformat.*, cap. 10, et pluries decrevit sacra congreg. Concilii, et signanter 26 Jun. 1709 et 16 Decembr. 1713. Barbosa in *Trid.*, l. cit. n. 2; card. Petra. tom. V *Comment. ad const.* 4 *Calisti III*, n. 68, et alii communiter.

(4. Nec, etiamsi alii regulares non subditi, et clerici sæculares afferant dimissorias suorum respective superiorum. *Vide* verb. *Abbas*, num. 22.

(5. Imo talis ordinatio abbatum conferentium ordines minores sibi non subditis, licet cum dimissoriis sui superioris, esset irrita et invalida. *Vide* verb. *Abbas*, num. 23.

(6. Abbates regulares non possunt promovere ad ordines minores, neque suos novitios. *Vide* verb. *Novitius*, num. 93.

(7. Novitii respectu minorum ordinum ordinandi sunt a proprio episcopo. *Vide* dict. verb. *Novitius*, num. 94.

(8. Episcopus autem proprius est episcopus loci monasterii, in quo novitii agunt novitiatum. *Vide* d. verb. *Novitius*, num. 95.

(9. Cardinales presbyteri, etiamsi episcopi non sint, possunt in suis titulis conferre primam tonsuram, et omnes ordines minores suis subditis et familiaribus. Barbosa, p. II *De offic. et potest. episcop.*, alleg. 3, n. 15, et lib. I *Juris ecclesiast. univers.*, cap. 4, num. 40, cum plurimis ibi citatis; Rosignol., *De ordinib. in communi*, part. 1, qu. 2, art. 1, num. 12, et alii passim.

(10. Subditus episcopi quoad ordines licite ab ipso recipiendos potest quis fieri quatuor modis; scilicet, ratione originis, ratione domicilii, ratione beneficii et ratione triennalis familiaritatis, seu commensalitatatis cum episcopo. *Commun.* per textam in cap. *Cum nullus* 3, De temporib. ordinat. in 6, ubi comprehenduntur primi tres modi his præcis verbis: « Superior intelligitur in hoc casu (scilicet quantum ad dandam licentiam recipiendi ordines ab alieno episcopo, et a fortiori ipsos conferendi) episcopus, de cujus diœcesi est is, qui ad ordines promoveri desiderat, oriundus; seu in cujus diœcesi beneficium obtinet ecclesiasticum: seu habet (licet alibi natus fuerit) domicilium in eadem; » et per textum in Conc. Trid., sess. xxiii, *De reformat.*, cap. 9, ubi additur quartus modus, triennalis videlicet familiaritatis, seu commensalitatatis cum episcopo his præcis verbis: « Episcopus familiarem suum non subditum ordinare non possit, nisi per triennium secum fuerit commoratus, et beneficium, quacumque fraude cessante, statim re ipsa illi conferat, consuetudine quacumque etiam immemorabili in contrarium non obstante. »

Et quoad quatuor dictos modos, quibus potest quis fieri subditus episcopi quoad ordines licite ab ipso recipiendos, adest novissima constitut. Innocentii XII edita 4 Novemb. 1694, quæ cum debeat inseruire pro quotidiana regula, hic ad litteram datur.

CONSTITUTIO,

Qua plura declarantur ac præscribuntur pro tollendis abusibus et fraudibus circa ordinationes alienorum subditorum.

INNOCENTIUS EPISCOPUS, ETC.

« Speculatores domus Israel, quæ est sancta Dei Ecclesia, per ineffabilem divinæ bonitatis abundantiam constituti, eo potissimum ab ipsis Pontificatus nostri primordiis pastoralis vigilantie nostræ studia convertenda esse duximus, ut, qui in sortem Domini vocantur, sacrisque adieciuntur ministeriis, quippe quos irreprehensibiles esse convenit, ut præesse valeant corrigendis, ac in quos tanquam in speculum reliqui oculos conjiciant, ex hisque sumunt, quod imitentur, tales sint, qui dignè possint Dominica sacramenta tractare, ac ædificent cunctos, tam fidei scientia quam operum disciplina.

« § 1. Sane hoc inito concilio, non alios, quantum fieri potest, quam qui in sanctitate, per ordinatissimos ecclesiasticæ militiæ gradus statis intervallis ambulaverint, ac pie et fideliter in ministeriis antea actis se gesserint, ad sacerdotium assumi, sacrasque ordinationes juxta priscum Ecclesiæ morem, præscriptis a jure temporibus, orationi et jejuniis consecratis, haberi cupientes, severiorem quamdam in concedendis indulgentiis suscipiendi sacros ordines extra tempora hujusmodi, et interstitiis ad id designatis minime servatis, ultro Nobis proposuimus adhibendam rationem, qua videlicet servata, ante meritum laboris, ante tempus examinis, ante experientiam disciplinæ, sacerdotalis honor non probatis minime tribuatur, nec unquam heri profani, hodie sacrorum antistites, veteres vitio, virtute rudes, et recentes, discipuli simul ac magistri pietatis creentur; sed ii tantam juxta constitutas a majoribus leges ab humili gradu fidelis populi ad sacrarum administrationum sublimitatem promoveantur, qui post mutatum habitum sæcularem diuturna conversatione inter clericos fuerint comprobati, ac multo tempore didicerint, quæ postmodum alios docere teneantur.

« § 2. Cæterum per ea ipsa indulta, quæ super præmissis parcius quidem, ac ex certis tantum et magis rationabilibus causis concedere decrevimus, contraria quavis illorum interpretatione penitus improbata, salutarem illam, quam sacri generalis Tridentini concilii decreta de non ordinandis ad patrimonii titulum, nisi illis, quos episcopi pro necessitate, vel commoditate suarum ecclesiarum assumendos judicaverint, præscribunt disciplinam nequaquam relaxatam intelligi, quin imo nec unquam ad indulta hujusmodi exsequenda episcopos ipsos arctare, sed illorum executionem arbitrio semper eorundem episcoporum, quorum conscientias hac in re strictissime operatas volumus, prorsus relinquere declaravimus: sperantes in Domino eos, qui juxta Apostoli monitum, nemini cito manus imponendas esse, probe norunt, sibi, et universo gregi attendentes, in quos eos posuit Spiritus sanctus regere Ecclesiam Dei, et reverenda ipsis spiritibus angelicis ministeria ab hominibus sine consideratione apprehendi unquam permissuros, nec temere percipi passuros, quæ vita probata duntaxat accipere promerentur.

« § 3. Omnes insuper, et singulos cujuscunque tandem gradus, ordinis et dignitatis fuerint, quibus ex hujus Sanctæ Sedis gratia sacros ordines præfatos extra eadem tempora conferre valeant, indulgenti potestas fieri consuevit, cum divinos ordines largiri districti semper esse judicii oporteat, serio monitis volumus, ut præscriptos sibi desuper in suis quique facultatibus terminos religiose custodiant, nec eas cujusvis consuetudinis, aut exempli prætextu ulla tenus transgrediantur.

« § 4. Verum quo impensius Aposto-

licæ gubernationis curam, et cogitationes in hæc intendimus, eo majori cum animi nostri dolore ex quamplurimum venerabilium fratrum nostrorum archiepiscoporum et episcoporum in diversis regionibus existentium delatis ad Nos querelis accepimus, et graviora quotidie malignari inimicum in sancto, sacrilega scilicet illorum impudentia in dies crescente, qui propriæ salutis immemores, clericales ordines sibi forsitan a propriis præsulibus denegatos, seu quos aliquibus canonicis sibi obstantibus impedimentis, denegari merito verentur, ab alienis episcopis, non quæ Jesu Christi, sed eas, quæ ad ipsos non pertinent, oves, in animarum suarum perniciem querentibus nec tot canonicas damnationes contra usurpantes alienæ plebis hominem latas perhorrescentibus, absque suorum prælatorum comœatu, hoc est dimissoriis commendatiisve eorum litteris destituti, quinimo eis insciis, et sæpe etiam invitis, sub minus legitimis beneficii ecclesiastici, originis, domicilii, seu etiam familiaritatis, ac continuæ ordinantium episcoporum commensalitatibus quæsitis titulis, in sacrarum legum fraudem et contemptum, illegitime suscipiunt, atque ita non intrantes per ostium, et nihilominus tabernaculum Domini cum macula inhabitare non dubitantes, sacrificium in sacrilegium convertunt, iudicium absque misericordia sibi conciscunt, Deoque minime placentes, et tamen placere velle præsumentes, non modo eum non placent, sed magis irritant, dum videntur in cordibus suis dicere: non requiret.

« § 5. Hinc est quod Nos ex commissæ Nobis divinitus Apostolicæ servitatis munere, abusus, fraudes ac scandala hujusmodi penitus et omnino e medio tollere, ac irreligiosam contrafacientium audaciam, quantum Nobis ex alto conceditur, compescere et reprimere volentes, nec non felicis Urbani VIII contra male ordinantes, et male ordinatos, quæ incipit: *Secretis*, aliorumque Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum, ac etiam conciliaribus hæc in re editis constitutionibus, et ordinationibus inhærentes, illasque quoad ea quæ præsentibus non adversantur, quatenus opus sit, innovantes, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium ejusdem concilii Tridentini interpretum, qui quæcunque antehac super præmissis ab ipsorum cardinalium congregatione in particularibus casibus edita decreta, declarationes, seu responsa ad earundem præsentium limites reducenda esse censuerunt, consilio, ac etiam motu proprio, et ex certa scientia, et matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, ad Omnipotentis Dei gloriam, Ecclesiæ utilitatem, veteris disciplinæ instaurationem, totiusque Christiani populi ædificationem, hac generali nostra, et perpetuo valitura constitutione decernimus et declaramus.

« § 6. Nulli episcopo, seu cujusvis loci ordinario, tametsi cardinalatus honore fulgeat, licere externum quempiam, ac sibi

ratione originis, seu domicilii juxta modum inferius declarandum legitime contracti non subditum ad clericalem tonsuram promoveri, cujusvis beneficii ecclesiastici, ei, statim ac tonsura hujusmodi insignitus fuerit, conferendi, seu ad quodvis a patronis jam præsentatus, seu nominatus fuerit prætextu, etiamsi beneficium prædictum de novo ea expresse adjecta lege fundatum fuisse constiterit, ut quis immediate post clericalem characterem susceptum ad illud instituat.

« § 7. Præterea clericum, qui legitime jam a proprio episcopo ad eandem clericalem tonsuram, seu etiam ad minores ordines promotus fuerit, non posse ab alio episcopo, ratione, ac titulo cujuscunque beneficii in illius diœcesi obtenti, ad ulteriores ordines promoveri, nisi ante eorundem susceptionem testimoniales litteras proprii episcopi, tam originis, quam domicilii super suis natalibus, ætate, moribus, et vita sibi concedi obtinuerit, easque episcopo ordinanti in actis illius curiæ conservandas exhibuerit.

« § 8. Licet vero clericus, ratione cujusvis beneficii in aliena diœcesi obtenti, subijci dicatur jurisdictioni illius episcopi, in cujus diœcesi beneficium hujusmodi situm est, eam tamen de cætero hac in re inconcusse servari volumus regulam, ut nemo ejusmodi subjectionem ad effectum suscipiendi ordines acquirere censeatur, nisi beneficium prædictum ejus sit redditus, ut ad congruam vitæ sustentationem, sive juxta taxam synodalem, sive, ea deficiente, juxta morem regionis, pro promovendis ad sacros ordines, detractis oneribus per se sufficiat; illudque ab ordinando pacifice possideatur, sublata quacunque facultate supplendi quod deficeret fructibus ejusdem beneficii, cum adjectione patrimonii etiam pinguis, quod ipse ordinandus in eadem seu alia quavis diœcesi obtineret: ac episcopus sic ordinans, tam de prædictis testimonialibus litteris, quam de reducto beneficii hujusmodi expressam in consuetâ collatorum ordinum attestationem mentionem facere debet.

« § 9. Cæterum subditus ratione originis is tantum sit, ac esse intelligatur, qui naturaliter ortus est in ea diœcesi in qua ad ordines promoveri desiderat; dummodo tamen ibi natus non fuerit ex accidenti, occasione nimirum itineris, officii, legationis, mercaturæ, vel cujusvis alterius temporalis moræ, seu supermanentiæ ejus patris in illo loco: quo casu nullatenus ejusmodi fortuita nativitas, sed vera tantum, et naturalis patris origo erit attendenda. Quod si quis tanto temporis spatio in eo loco, in quo ex accidenti, sicuti præmittitur, natus est, moram traxerit, ut potuerit ibid. canonico aliquo impedimento irretiri, tunc etiam ab ordinario ejus loci litteras testimoniales, ut supra obtinere, illasque episcopo ordinanti per eum in collatorum ordinum testimonio similiter recensendas præsentare teneatur.

« § 10. At si pater in alieno loco, ubi ejus filius natus est, tandiu, ac eo animo

permanserit, ubi inibi vere domicilium de jure contraxerit, tunc non origo patris, sed domicilium per patrem, legitime, ut præfertur, contractum, pro ordinatione ejusdem filii attendi debeat.

« § 11. Subditus autem ratione domicilii ad effectum suscipiendi ordines is duntaxat censeatur, qui licet alibi natus fuerit, illud tamen adeo stabiliter constituerit in alio loco, ut vel per decennium saltem in eo habitando, vel majorem rerum, ac bonorum suorum partem cum instructis ædibus in locum hujusmodi transferendo, ibique insuper per aliquod considerabile tempus commorando, satis superque suum perpetuo ibidem permanendi animum demonstraverit, et nihilominus ulterius utroque casu se vere et realiter animum hujusmodi habere jurejurando affirmet.

« § 12. Si quis tamen a propriæ originis loco in ea ætate discesserit, qua potuerit alicui canonico impedimento obnoxius effici, etiam ordinarii suæ originis testimoniales litteras, ut supra, afferre debebit, ac de illis expressa similiter mentio in susceptorum ordinum litteris facienda erit.

« § 13. Ad hæc nullus episcopus alienæ diœcesis subditum familiarem suum ad aliquos sacros, seu minores ordines, vel etiam primam tonsuram promoveri, seu ordinare præsumat absque ejus proprii originis scilicet, seu domicilii prælati testimonialibus litteris, ut supra, et nisi ad præscriptum Conc. Trid. præfati sess. xxiii, c. 9, *De reform.*, familiarem prædictum per integrum et completum triennium in suo actuali servitio secum retinuerit, ac suis sumptibus aluerit, beneficium insuper, quod ei ad vitam sustentandam, juxta modum superius præfinitum, sufficiat, quacunque fraude cessante, statim, hoc est, saltem intra terminum unius mensis a die factæ ordinationis, re ipsa illi conferat, ac in ordinationis hujusmodi testimonio expressam itidem familiaritatis, ac litterarum prædictarum mentionem facere teneatur.

« § 14. Porro, ut quibuscunque fraudibus aditus omnino præcludatur, volumus, et Apostolica auctoritate statuimus atque decernimus ut episcopus quilibet suos ratione originis sive domicilii subditos clericos quoscunque ab alienis episcopis quavis auctoritate, etiam cum suis commendatiis litteris promotos, nedum ad formam concilii Tridentini, supradicti sess. xiv, cap. 3, *De reform.*, quoad scientiam examinare valeat, verum etiam ordinum eis collatorum testimoniales litteras, gratis tamen, recognoscere ac diligenter perquirere an quoad illos præsentis constitutionis forma, et dispositio adimpleta fuerit, assignato sic promotis termino competenti ei magis benévolo ad docendum de ejusmodi adimplemento, ita ut quos, eo termino elapso, id minime præstitisse compererit, a susceptorum ordinum exercitio, et si ita, quandiu ei expedire videbitur, suspendere, illisque, ne in altari aut in aliquo ordine ministrent, interdiceret possit.